



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

VI. De Principibus Iconomachorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

CAPVT VI.

De Principibus Iconomachorum.

AUCTORES Iconomachia fuerunt omnes aut Iudæi, aut Mahumetani, aut Magi, aut manifestè Hæretici, ita vt negare non possint qui hoc tempore oppugnant imagines, auos & maiores suos fuisse impios.

Alphonsus de Castro, verbo, Imago, tribuit hunc errorem cuidam Felici, quem dicit damnatū in Concilio Franconia, teste Platina in Adriano primo, nec tamen potest inuenire, quis iste Felix fuerit. Tribuit item Sereno Episcopo Massilia, quem B. Gregorius reprehēdit lib. 7. epist. 109. & lib. 9. epist. 9. denique eundem errorem tribuit Alphonsus B. Epiphanio in epist. ad Ioannem Hierosolymitanum.

Sed nullus horum, pace Alphonsi, in isto errore versatus est; nam Felix damnatus in Synodo Francofordiensi, est Felix Episcopus Vrgelitanus. Is autem (vt ex Adone in Chronico, & Iona lib. 1. patet) solū docuit Christum esse Filium Dei adoptiuum: quia tamen eadem Synodus reprobauit eodem tempore (vt ex eodem Adone in Chronico anni D C. XCII. patet) Pseudosynodum Græcorum contra imagines, putauerunt tam Platina, quàm Alphonsus, hæresim Felicianam esse hæresim Iconomachorum.

Serenus autem confregit quidem imagines, sed nullo modo Iconomachis hæreticis annumerandus est; nam imagines fregit, quia videbat eas à Christianis, tum recens conuersis, adorari pro Dīs. Vnde B. Gregorius laudat zelum eius & fidem, & solū reprehendit temeritatem, quod ausus sit id facere, quod nullus vnquam Episcopus fecerat, & monet eum, vt populum instruat, cur imagines ab Ecclesia teneantur, & præmissa instructione imagines in templis reponi sinat. Nec erat opus, vt Castro diceret, Serenum, & Epiphanium excusari ab hæresi, quia res nondum erat determinata. Satis enim res determinata erat vsu totius Ecclesiæ: sed nihil isti contra fidem, aut veritatē egerunt, vel docuerunt. Ac præsertim Epiphanius, qui purgatur ab omni suspitione erroris circa imagines in VII. Synodo, act. 6. tomo 5. & nos infra de hac re agemus.

mus. Et certè non sine temeritate, & præiudicio Catholice fidei tam crassi errores tam magnis viris tribuuntur.

Nicolaus Sanderus lib. 1. c. vlt. de imaginibus dicit, primos Iconomachos fuisse Manichæos, tum quia id videtur indicare Tharadius in VII. Synodo, tum etiam, quia Faustus apud Augustinum lib. 20. cap. 3. contra Faustum, gloriatur, à sua sectæ hominibus Deum sine simulacris coli: Sed an res ita habeat, vehementer dubito; nam Tharadius in VII. Synodo, act. 5. non dicit Manichæos respuisse imagines, sed dicit Iconomachos dum imagines respuunt, similes esse Manichæis, qui asserbant, Christum non habuisse verum corpus; qui enim negat Christum posse depingi, videtur existimare, Christum non habere verum corpus. Porro Faustus apud Augustinum non loquitur de imaginibus Sanctorum, sed solum de imaginibus Dei. Vnde nec Faustus eo loco reprehendit Catholicos, quòd haberet imagines, nec Augustinus reprehendit Manichæos, quòd imaginibus carerent: Ergo primi Iconomachi sunt Iudæi, qui in suo Thalmud quod prodiit anno Christi CD. LXXVI. ord. 2. tract. 1. dist. 2. disertè docent, Christianorum Ecclesias esse domos idololatriæ. quòd propter imagines dictum esse patet tum ex VII. Synodo, ubi frequenter Iconomachi dicuntur Hebræi: tum ex Dialogis Leonii, ubi aliter dicitur Iudæus cum Christiano de imaginibus. habetur pars horum Dialogorum in VII. Synodo, act. 5.

Circa idem tempus Zenone imperante existit Xenaias quem Principem Iconomachorum fuisse dicunt Nicæphorus lib. 16. cap. 27. & Cedronus in compendio. Fuit autem iste Xenaias homo Persa, & barbarus, immò & seruus fugitiuus: & licet non esset baptizatus, simulans tamen se Christianum irrepfit ad Episcopatum. Sed quamquam iste aperte suasit non esse venerandas imagines: non tamè legimus, quòd persuaserit, nisi forè aliquibus paucis. At post annos ferè centis Iustino iuniore Imperatore, Samaritani quidam irruerunt in Ecclesiam quandam, & in imagines Christi, & Sanctorum ferocissimè grassati sunt, vt patet ex epistola Simeonis Eremitæ ad Iustinum Imperatorem, quæ habetur in VII. Synodo, act. 5.

Non diu postea post annum Domini DC. exortus est Mahometus, qui sua sectæ hominibus nullas imagines in templis

plis permisit, vt ex Alcorano, cap. 15. & 17. & ex ipsa experientia patet. Nec enim Turcæ imagines habent, & nos idololatrias putant propter cultum imaginum.

Iterum post annos ferè centum, id est, post annum DCC. Domini, Hebræus quidam maleficus Ezidi Regi Arabum Mahumetano promisit XXX. annos vitæ, si in suo imperio iuberet imagines Christi, & Sanctorum ex Christianorum Ecclesiis auferri, & comburi. Iussit ille, sed cum Christiani nõ parerent, immisit Arabes, & Hebræos in Ecclesias, qui negotium impigrè perfecerunt: Sed Rex Ezides anno sequenti obiit, & Hebræus tanquam impostor à successore eius turpissima morte mori coactus est. Narratur historia in VII. Synodo, act. 5. necnon à Cedreno, Zonara, & Niceta in vita Leonis Isauri.

Paulò pòst, Leo Isaurus Imperator à Iudæis similiter persuasus, publico edicto imagines deponi, & deleri ex templis omnibus iussit: Et multos Christianorum resistentium neci dedit. vnde Iconomachi cognomen inuenit. Auctores sunt, Cedrenus, Zonaras, Paulus Diaconus, & alij. Atque hic fuit primus Christianorum, qui bellum mouit contra imagines; nam et si Philippicus, teste Paulo Diacono, deposuerat imagines sex Synodorū: tamen id fecerat odio sextæ Synodi, non odio imaginum. Fuit enim Philippicus Monothelita, non Iconomachus.

Vtrum autem Leo rectè fecerit, an malè, vel ex eo perspici potest, quod maluit in ea causa Iudæorum maleficorum cõfiliis adhærere, quàm sancti Gregorij Papæ, & sancti Germani Patriarchæ Constantinopolitani, qui tunc sedebant, & Imperatori apertè restiterunt, vt ex iisdem auctoribus patet. Fuisse autem Gregorium illum, & Germanum, optimos, & doctissimos Pontifices tradunt historici omnes eius temporis Græci & Latini. Restiterunt etiam Leoni duodecim sapientes, qui cum præposito suo, qui dicebatur magister OEcumenicus, publicis sumptibus alebantur, & omnium optimi, & sapientissimi erant: quos Leo vnà cum domo, & instructissima eorum bibliotheca combussit. Vide Zonaram in vita huius Leonis.

Impietatem porrò Leonis sequutus est Constantinus Copronymus huius Leonis filius, qui in signum futuræ improbitatis

bitatis dum baptizaretur, sacrum fontem stercore foedauit, & præterea Necromanticus fuit, & hæreticus Nestorianus; nam non credidit B. Mariam esse Deiparam, vt ex Zonara, & Cedreno cognosci potest.

Monet autem rectè Sanderus Gulielmum Xilandrum, nõ fideliter vertisse in hac historia verba Cedreni. vbi enim Cedrenus scripsit, Constantinum istum exegisse iuramentum ab omnibus Imperio suo subiectis, quo iuramento confirmarent, nullam se imaginem adoraturos; illa verba, *εἰς τὴν εἰκόνα τοῦ κυρίου πύλι*, ille vertit, nulli se simulacro supplicaturos, quasi videlicet Christiani idolis supplicent. Cùm tamen constet, vt iam ostendimus, imagines nõ rectè vocari simulacra, & vsus Christianorum habeat, vt imagines veneremur, non vt eis quasi viuentibus & sentientibus supplicemus. Sed nimirum qui fidem Deo non habet, nihil mirum, si etiam fidem non seruet in libris transferendis.

Post annum deinde DCCC. cùm aliquandiu quiescisset bellum contra imagines; iterum renouatum est à Leone Armenio Imperatore; & qui ei successerunt, Michaële Balbo, & Theophilo, quos omnes improbissimos fuisse, postremam etiam Iudaicæ sectæ, & Necromantiæ addictum, testantur Cedrenus & Zonaras in vita ipsorum.

Eodem tempore, quo Theophilus in Oriente imagines oppugnabat, exstitit in Occidente sub Imperio Ludouici Pij Caroli Magni filij Claudius Hispanus, Episcopus Taurinensis Felicis Vrgelitani discipulus, qui imagines omnes, & ceteras ex templis omnibus suæ diocesis abstulit. Fuit autem homo imperitus, & superbus, vt ex libello eius libris Ionæ infecto apparet, & hæresim Arianam, iam sepultam, rursus ad lucem reuocare conatus est.

Post illa tempora circa annum Domini M. CCC. LXXII. exstitit Ioannes Wiclef, qui obiter attigit imaginum reprehensionem, sed discipuli eius acrius postea imagines oppugnauerunt. Vide Thomam Waldensem tomo 3. tit. 19. Eundem errorem tribuit Waldensibus Claudius Confordius libro contra Waldenses, articulo vltimo.

Scribit etiam Ioannes Cochleus lib. 3. hist. Hussitarum, à Hieronymo de Praga imaginem Christi crucifixi deiectam, & ster-

& stercore foedatam, cum tamen ipse in cubiculo adoraret imaginem Wiclefi diademate coronatam.

Denique hoc nostro seculo primus, qui imagines è templis abstulit, Andreas Carolstadius fuit, anno M. D. XXII. teste Ioanne Cochlæo in vita Lutheri. Lutherus autem quamquam rem probaret, reprehendit tamen auctorem, ut ibidem Cochlæus dicit, quia, ut id faceret, non à se potestatem, & auctoritatem flagitauerat. Item Zwinglianos contra imagines pugnasse scribit Cochlæus in actis Lutheri anni M. D. XXVI. Philippus quoque in locis communibus explicans decalogum, reprehendit imaginum venerationem. Similiter Magdeburgenses Cent. 8. passim, sed præcipuè cap. 9. & 10.

Denique Ioannes Calvinus lib. 1. cap. 11. & lib. 4. cap. 9. §. 9. Instit. acerrimè imaginum cultum reprehendit. & Caluini-
stæ, vbicunque possunt, eas frangunt, vel comburunt, vel abradunt.

CAPVT VII.

Licere imagines & facere, & habere.

Is præmissis, ut ostendamus licere Christianis vsum imaginum, proponemus, & refutabimus varios, qui de hac re exstiterunt, errores.

Ac PRIMVS quidem est Iudeorum, qui quondam propensissimi erant ad idololatriam; at post Christi aduentum superstitionissimi sunt contra imagines. Dicunt enim iure diuino prohibitum esse imagines quaslibet efficere, teste Paulo Burgensi, addit. 2. ad Lyranū super cap. 20. Exod. quod idem docent Wiclefistæ apud Waldensem tom. 3. tit. 19. c. 152. Ratio eorum est, quia Exod. 20. dicitur: *Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, &c.* Ceterum hic est error manifestus. Et sine dubio non prohibetur in decalogo omnis imago, sed solum illa, quæ dici potest idolum, id est, imago, quæ habetur pro Deo, vel quæ repræsentat tanquam Deum eam rem, quæ non est Deus. Cum enim dicitur: *Non habebis Deos alienos*, prohibetur actus interior idololatriæ. cum autem additur: *Non facies tibi sculptile, &c.* Prohibetur actus exterior. Vide Augustinum quæst. 71. in Exodum.

Probatur hæc sententia PRIMVM, quia si prohiberetur omnis imago, sequeretur præcepta decalogi non esse tantum decem